# AD CLEMENTEM VIII. PONT. OPT. MAX.

## ANTONII CERRII CARMEN.





ARIMINI,


Apud Ioannem Simbenium. M. D. XCVIII.

*Superiorum permissu.*

# AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.D. CYNTHIVM ALDOBRANDINVM CARDINALEM S. GEORGII.

*Grandia Clementis cecini quae facta subibunt*
*Quas aures potius, lumina quaeque magis,*
*Quàm tua musarum custos doctissime Cynthi*
*Summi huius patris gloria summe nepos,*
*Non temerè egregium nomen qui ducis ab ipso*
*Sole, vnà & genium, nobile & ingenium,*
*Illustrans quos tollis humo, firmansq;, fouensq;*
*Quicquid virtutis nomen, & omen habet.*







97

# CLEMENTIS VIII. ENCOMION.



„ Ttulit & nobis aliquando optantibus ætas
„ Auxiliũ, aduentũq; dei: nãq; arce suprema
Vt pater humani generis deflectere cæli
Non sat habens olim in miseras pia lumina
Humanam formam indutus vestigia eisdem (terras,
Fecit, Idumæas clemens miseratus & vrbes,
Externamq; Tyrum, infensæ & Samaritidos oram
Lustrauit, legesq; dedit, moresq; repressit,
Aegrotosq; manu attrectans curauit, & omnes
Ad se voce vocans nullo discrimine gentes,
Corporis, atq; animi sordes abstersit; olympi
Sic tu rectoris referens munusq;, vicesq;
Summe parens hominum in terris, ex Tybridis arce,
Finitima æthereæ æternùm quæ immota procellas
Despectat boreæ, strepitusq; Acherontis auari,
Non satis esse ratus, quantum contendere lynceus
Mente vales, patrium vt latium, sociasq; receptas
Pontificis quondam in curam, sanctiq; senatus
Augustas vrbes rectis moderetur habenis.

*Quisq; pij, iustiq; sciens; examine legum*
*Ponderibus librata suis ut cuncta quiescant;*
*Has etiam, patiensq; viæ, patiensq; laboris,*
*,, Inualidus vires vltrà, sortemque senectae,*
*O pietas, vigilansq; gregem super optime pastor.*
*Ne te aures fallant, oculo propiore tueri*
*Nunc tandem voluisti, operam laturus, & vnà*
*Quicquid opis potes, & debes; per sæcula quando*
*Non aliis facturus idem lustrarit easdem*
*Ausonias vrbes, cuius non immemor vnquam*
*Gratia per celebres titulos, fastosque superfit.*
*Namq; vt in Aemilia diuerso ex hoste recepit*
*Vrbes, & ciues, reddens & ciuibus vrbes,*
*Vrbibus & ciues, armis sacraq; tiara*
*Maximus ille bonis præsens, scelerumq; repreßor*
*Julius, æternum robur, columenq; decusque*
*Præcipuum Aemiliæ, & solij, totius & orbis*
*Christiadum; non alter opem præsentius vnquam*
*Attulit, aut aliquo subduxit pondere: seu quòd*
*Sic grauis ira dei, seu sic aduersa vocarent*
*Tempora, & angustis vrgens in rebus egestas.*
*Cum demum cæli aspexit clementia terras,*
*Te geminas flectente acies huc optime Clemens.*
*Detrectauit enim prudens si Manlius olim*
*Consulis imperium; solùm quòd luminis expers*
*Eßet, & aßereret dextràs, oculosq; morantem*
*Alterius semper, fallunt quæ sæpius aures*


(Quòd

*( Quòd cæca, docilesq; nimis ) moderamina regni*
*Recta tenere diu haud poſſe. ecquis lumine acuto*
*Non credit ſpectanda magis lædentia corpus,*
*Ipſum animumq; ſimul paſtori, credita cælo*
*Cui ſit cura gregis, cæli intrà vt ſepta reducat*
*Incolumem, haud quicquam paſſus periſſe luporum,*
*Et furum inſidijs? minus vt miremur in ipſa*
*Vrbe tuos vigiles oculos, auresq; manusq;,*
*Dum matutinus ſacras circunſpicis aras*
*Impiger, attrectasq; manu mantilia, curans*
*Ne ſint immundi calices, penetralibus vſquam*
*Aut immunda adytis ſpectetur ſacra ſupellex,*
*Sordeſcatque animo ſordens ad ſacra miniſter.*
*Quòd non ignores queſtum cum Dauide quondam,*
*Cælicolum patrem, ſacrum permiſit Idumes*
*Quòd ſimul ac illi ſceptrum, regnique coronam;*
*Nomen & impoſuit nomen iuxta omne tremendum*
*Magnanimum regum, atque omnes memorabile in oras:*
*Depoſiti ante pedi oblitus, redolentia cedro*
*Regia tecta ſibi gemmis, auroque nitenti*
*Struxiſſet, pellita illi tentoria linquens.*
*Quarè huc intendis curam, ſtudiumque perenne,*
*Vt qui etiam intacti cineres, atque oſſa ſuperſunt*
*Relliquiæ, & ſuperum nobis monumenta piorum*
*Semper inextinctum attactu teſtantia numen,*
*Dum varios pellunt morbos, aciesque furentes*
*Tartareas, auro, & gemmis ſint ſepta, nec vno*

*Lini*

*Lini etiam tenuì filo connexa; nitenti*
*Serico at interius, foris & circundata fuluo*
*Aut auro, aut aurum potius ſuperante lapillo.*
*Ne fruſtra quondam multo ſeruata labore*
*Hoſtiles interque manus, & tela furentum,*
*Ignibus erepta è medijs, ſint obſita turpi*
*Squallore, immundoque ſitu, tineisque; ſederet*
*Si piger, atque excors pretioſa ad pignora cuſtos.*
*Quin & conſortes operis, pecorisque magiſtros*
*Quos legis, ante diu exploras per longa laborum*
*Tentamenta gregi quantum cuſtodia ſolers*
*Ferre opis illorum poßit; ne forte vocares*
*In curam, partemque illum, qui ſæpe patentem*
*Auderet monſtrare viam vix conſcius arcta*
*Semita quò ducat. Nec dum contenta quieſcit*
*Mens tibi; namque iuues quamquam te iuſta petentes;*
*Aut etiam iuſto fundentes ore querelas;*
*Ad limenque ſacrum nullus virtute miniſter*
*Sit non perſpecta prorſus, qui occludere cuiquam*
*Aut aditus auſit; moresuè probare Voconi*
*Venalem fumum fruſtra ſe habuiſſe dolentis;*
*Tutior ipſa gregis tamen vt cuſtodia ſemper*
*Sit cari, hos ſocios operis, populisque regendis*
*Præfectos viſis, demum auditurus, an vllus*
*Poße latere putans ſe æterni luminis Argum,*
*Cambyſen ridens corio conſtraſſe tribunal*
*Iudicis iniuſti, dentes ſæpè forcipis inſtar*

**In**

*In uetitum exacuens auderet tergora sæuus*
*Deripere inualido, & semper grauiora timenti,*
*Mussantique gregi: demens quod crederet aures*
*Non fore balatu feriendas illius vnquam,*
*„ Qui medicas adhibere manus ad vulnera pastor*
*„ Non negat, & meliora suos sedet omnia poscens.*
*Qui simul ac solium conscendit, proxima cælo*
*Quod tenet, insano & scelerum sublapsa veneno*
*Dira per incautum vidit contagia vulgus;*
*Mox causam, vt medicus noscens, & semina morbi,*
*Admonuit precibus domito deposcere olympo*
*Quoslibet auxilium, atque illinc sperare furentis*
*Posse fugam illius; simulatque lacessere namque*
*Pastorem votis, linguisque loquacibus ausi,*
*Qui solus deus est terris: per inhospita morsu*
*Vt loca vipereo Solymi periere, pudendo*
*Ore ausi violare duces, Mosemque, deumque;*
*Sic nos atra lues, linguæque iniuria adedit*
*Ausos pastoresque dei violare, deumque.*
*Et veluti pestis tacitos irrepserat a[illegible]*
*Miscuerat que caput cælo, inclementia eandem*
*Sic cæli in terras mox despuit: alta per agros*
*Nam subito illuuies, atra & r[illegible]iginis ignes*
*Inualuere; seges læta astringenda maniplis*
*Namque auidas interque manus, interque loquentis*
*Agricolæ frustrata oculos mox occidit aruis.*
*Et sic Christiadum creuit bacchata per orbem*

*Dira fames, vt non siliquae, notumque legumen*
*Vix pecori satis ante vago per deuia notum,*
*Arboreique unquam fetus explere valerent,*
*Gramen, & abruptis quaesitae montibus herbae.*
*Nec longum interea tempus; subiere furentes*
*Letiferi paßim morbi, qui ciuibus vrbes,*
*Et rura agricolis vastaßent; prima malorum*
*Iußisses clementa nisi expurgare, latentis*
*Et morbi segetem vitium; sine numine namque*
*Diuino mala nulla premunt mortalia, saepe*
*Hoc laetos populante agros, populante penates;*
*Ad nutumue dei potius pennata satelles*
*Addita que semper noxae stat turpis egestas,*
*Morbus, & igniferum bellum. quae conscius ipse*
*Incubuiße gregi his causis, nec nescius una*
*Aethereas aperire fores, queis decidit aureis*
*Aureus imber alens vitali munere fetus*
*Quoslibet, vnde vigent rediuiuo semine cuncta.*
*Diues inaceßos alij, ad tua vota patentes*
*Thesauros terris referas, radiante pyropo,*
*Atque adamante magis pretiosos, diuite vena*
*Semper inexhaustos, diuerso ex hoste receptos*
*Arma inter, rapidosque ignes, durosque labores,*
*Spes homini, pignusque datos, quo soluat ab omni*
*Se tandem aere graui; glacies siue inter, & ignes*
*Relliquijs scelerum ablutis superenatet astra.*
*Atque locare velut patrij tutißima regni*

*Fundamenta sui Solomon cum cœpit, ab alto*
*In populum precibus petijt bona cuncta benigna*
*Defundi illius dextra, quae amplectitur omne*
*Semper alens quodcunque viget, viguitque, vigebitque;*
*Exemplo simili sic tu, pater optime, saepe*
*Dementes homines causis accepta secundis*
*Jlla referre videns, prudens queis solus habenas*
*Cuncta regens auriga deus laxatque, premitque,*
*Vt libet adnutum: hunc animis, & voce precatus,*
*Vt rursum reddat miseris ea commoda terris,*
*Quæ prius iratus subtraxerat; optima pacis,*
*Mox veniæ, & partæ imponens ad fœdera dextram,*
*Tartareos nexus soluisti, & fascinat vrbes*
*Quod virus, terrasque vnà, exitiale Medusae*
*Sic perstrinxisti, vt ( dictu mirabile in æuum*
*Quodlibet ) ex illo paulatim decolor arua*
*Qui situs instrarat; deceßerit; insita & ante*
*Viuida quæ fuerat virtus infusa per orbem*
*Creuerit; vt fruges felix iam Copia cornu*
*Diffundat pleno; quales diffudit & olim*
*Eliæ victus precibus deus optimus alti*
*Carmeli vicina iugo, & Ptolemaida largis*
*Non tantum adspergens pluuijs, quas sæpe negarat*
*Ante diù iratus nimium, sed diuite dextra*
*Subductas reddens fruges; te supplice nuper*
*Vt cæleste penu, & stellantia claustra reclusit*
*Sic pius: vt rursum incipiant nunc sæcla redire*

*Aurea, post exacta nimis iam ferrea. Id omne,*
*Atque immutata hac sæclorum stamina primum*
*Oppida senserunt, quorum te sumere curam*
*Exortem voluit superi regnator olympi;*
*Protinus, (atque animo si quis perpendere recto*
*Cuncta velit) post illa etiam persensit auitum*
*Quodque solum, cognata tibi quod iura reseruat,*
*Credita quæ quondam tandem tibi debita reddat.*
*Tum superis tanquam missum de sedibus omen*
*Accepit, nouitque libens Ferraria ferri*
*Ante diu duri nimium de nomine dicta,*
*Nuncque Fereaurea in antiquam reuoluta figuram;*
*Sacrorum pia iura patrum, sanctique senatus*
*Purpurei simul atque diu intermissa recepit.*
*Iure vel antiquo belli cum nomina victis*
*Victores semper dederint, Clementia posthac*
*Latura Octaui Clementis nomen in æuum,*
*Aeternum, magnum, augustum, memorabile nomen;*
*Barbaricisque etiam trepidandum gentibus, atque*
*Inuitis etiam quadam pietate verendum;*
*Hostibus & summis ornandum laudibus. Anno*
*Vix etenim elapso sensit Strigonia, & vrbes*
*Pannonicæ, quantum pariter pietate, vel armis*
*Aldobrandina attollat se gloria rebus,*
*Per memoresque caput fastos interserat astra.*
*Tuque id sensisses nuper Ferraria, quantum*
*Non modò quid gladius possit Solomonis acutus;*

Omnia

Omnia vtrinque ſecans, horrendi turbinis inſtar,
Altitonantis ab ore cadens in viſcera præceps,
Fulmini inaceſſa atque animi in penetralia adactus;
Aſt etiam ſubitò exemptus quid tempore eodem,
Vna, eademque hora poſſet, quem maximus alter
Perpetuò geſtaſſe parens eſt viſus, & vſquè
Ipſa etiam tractaſſe manu fortiſſimus enſem.
Sic ſe præclare oſtendit memoranda tenere
Magnanimum monumenta ducum, vt nō Cyrus Araxem
Terruerit tantum, tantum nec Gallica Cæſar
Agmina: & Eois metuendum nomen in oris
Magnus Alexander, Troiæ & populator Achilles;
Quantum vix menſe iniecit terroris, ad arma
Quemque vocans, gemino ſolus qui fulminat enſe
Horrendo terris, herebique ſub ima tremendo.
Verùm ſumma deus referant accepta triumphi
Præmia quique tibi, mox & ſpecioſa reponant
Octaui Bandine tuis præconia laudis
Debita conſilijs; cuius contingere odore
Quæſitae vt pacis nares indagine cœpit
Cura ſagax, nullo prudentia laſſa labore
Liquit odoriſequa optatae veſtigia praedae.
Abſtitit atque prius nunquam, pulcherrima victrix
Quàm tentamenta & pepigit, curſuque peracto
Parta tulit demum felix inſignia pacis.
Sic Libyae in cladem extremam dira arma mouenda
Inter, & oblatam pacem ſapientia Laeli

 Adi-

*Adiuuit facunda prius, Carthaginis arces*
*Scipiades quam concußit, cum funera dulci*
*Posthabuit monitus veniae, seruare vel vnum*
*Ciuem se malle affirmans, quàm caede furentem*
*Innumeras acies hostili perdere ferro.*
*Namque & sensisses, nimis & sensiße dolores*
*Frustrà Martis opes varias Ferraria iactans,*
*Quantum etiam Marte, & quantum præstantibus ausis*
*Maxima cura patris summi, pars maxima belli*
*Magnanimus iuuenis sacro conspectus in ostro*
*Poßet, si instructas acies, rapidasque phalanges*
*Ausonijs subitò accitas ex vrbibus vno*
*Vix mensis spatio glacies, interque niuales*
*Alpinas fauces celerans fudißet in arces,*
*Pergama & illa tua Aßyrijs vix cedere sueta.*
*Immemor vno olim lustro vix eße coacta*
*Agmina tot Teucros contrà, cùm Græcia longo*
*Barbaricas euertit opes, & pergama bello.*
*Difficilique adeò, atque angusto tempore regum*
*Non alium tantas acies struxiße, tremendis*
*Ille licet semper fuerit Mauortis in armis*
*Versatus, variosque premat ditione dynastas,*
*Tetrarchasque simul. quales vbi buccina belli*
*Prima dedit signum, pernicis fulminis instar*
*Vidimus huc dicto citiùs properaße furentes;*
*Armorum omnigenum, atque immenso pondere plaustra*
*Secum adducentes; hæc quamquam riseris, illas*

*Sæpe tuas arces, sæpe & mirata boatus*
*Fulmineos, Stygijque etiam de nomine Ditis*
*Quæ nomen tormenta trahunt. Oppedere cælo*
*Immemor ah demens solitum Salmonea quondam*
*Sic prorsum Aeolidem; verùm cum pectore veras*
*Persensit flammas, flammis gemuisse repertis.*
*Immemor & (vatum hæc dicas ne somnia) tantas*
*Hiericuntis opes, & propugnacula tanta*
*Consedisse solo solum clangore tubarum*
*Humano reboante magis. Velut ardua & inde*
*Exemplo simili Melcuni mœnia Galli*
*Roberti regis precibus, ceu turbinis actu*
*Viderunt prostrata solo. Contendere contrà*
*Vidit id ante ausus, ceu qui nictantia tendit*
*Lumina in aduersum solem; ast omniscius inde*
*Post paulo, aethereo perstrictus lumine, Sauli*
*More, deo cedens Cesar, sic denique Cesar.*
*Videre & reges alij socia arma, nec vllum*
*Laturi tibi subsidium; ast quodcunque daturi*
*Pontifici auxilium possent. Rex maximus, vno*
*Hesperus inuictis armis, regnisque potentem*
*Quo nullum magis aspexit: Phaethonte calentes*
*Diuerso, populique alio sub vertice cœli*
*Innumeri quem iure colunt; incognita nostris*
*Diues odora plagis seges; & cui ditior auri*
*Massa recens, & inexhaustis effossa metallis*
*Argenti vis magna pios seruata per vsus*

*Chri*

*Christiadum armorum extremis defertur ab Indis;*
*Religionis opum nostrae tutißimus; inquam,*
*Custos, & columen, superum pia cura Philippus*
*Obtulit Ausonijs quicquid tenet optimus oris;*
*Occiduis si poße datur iuncturus Eoa*
*Regna simul sacri in solij decus, & tua contrà*
*Mœnia; ceßurasque inuictis viribus arces*
*Hactenus intrepidas. Nec non & Gallicus heros*
*Henricus regni semper quem cura fatigat,*
*Irrequieta armis semper sua regna tuentem,*
*Se socium tanti belli tua Pergama contrà*
*Obtulit, acceptae non immemor ille salutis;*
*Per te summe pater, seq; intrà septa reductum*
*Per te Romulea, vnde amens per deuia furem, &*
*Pastorem haud internoscens decesserat; omnem*
*Posthac ducturus cursum sanctißima vitae*
*Per regum monumenta, olim queis stemmate longo*
*Gallica se cunctis praefecit gloria regnis;*
*Atque secuturus Goffredi exempla, nec armis*
*Nec pietate minor; memor & quam saepius ante*
*Ad lacrymas, & dura nimis ieiunia adegit*
*Te longa ipsius miserantem incommoda, Sancto*
*Ah quoties te Roma graues sub pectore curas,*
*Tantarum vt molem posses euoluere rerum,*
*Versantem vidit. Nam quamuis aureus axem*
*Sol nunquam ad medium ascendat, quin sacra supremo*
*Ritè deo faciens oneraueris aethera votis,*

*Hume-*

*Humectans lacrymis supplex altaria, donec*
*Aeternæ memoras nostræ monumenta salutis;*
*Tunc tamen, & primo surgens te aspexit Eoo*
*Non Vaticano tantum sub culmine limen;*
*Ast etiam nudis pedibus longinqua terentem*
*Sæpe dies multos summæ delubra parentis*
*Parthenicæ. Et quamquam recreat dum lumina somnus*
*Cætera per terras omnes, tu nocte silenti*
*( Sit fas cælicolum in decus hæc & operta recludi*
*Sint ingrata tibi quamuis occulta volenti*
*Esse homini, solumque deo perspecta ) per altos,*
*Flexiuagosque gradus scalarum, & cæca viarum*
*Descendis vigil, & nulli conspectus ad imum*
*Limen, & antiquum tumulum, qui amplectitur ossa*
*Sacra patris; solium statuit qui primus ab aula*
*Demissum æthereæ ad Capitoli immobile saxum;*
*Atque illic lacrymisque pijs, precibusque fatigas*
*Numina, vt inspirent mentem, doceantque futura*
*Quo tibi sint peragenda modo; tamen acrior omni*
*Tunc tibi cura fuit. Quoties se scindere olympus*
*Est visus tantos miseratus pectoris æstus,*
*Insolitum affulgens solus cum testis adesset*
*Erranti, passimque preces, & vota ferenti*
*Pastorum primo subter penetralia templi.*
*Sæpius & solito sol te pia thura ferentem*
*Supplicis in morem vidit, sacrasque canentem*
*Voce preces eius dictam de nomine ad aram*

*Per*

*Per te nunc ſubter ſublimi fornice molem*
*Eductam, atque illi ſolemni more ſacratam.*
*Omni te circum ſacro ſtipante ſenatu*
*Murice conſpicuo, & byſſo candore niuali;*
*Dulce choris velut aligerum modulantibus, atque*
*Compoſito circum mulcentibus æthera cantu.*
*Tardior ah quoties oriens ad vota vocanti*
*Nomine quemque ſuo ſuperum tibi lucifer ipſe*
*Adſtitit, & ſolus ſolum eſt comitatus euntem,*
*Atque opus vrgentem? diſcuſſas mente tenebras*
*Donec poſt dubia, & perceptos numinis hauſtus*
*Rurſus eum antiquum in regnum, atque in ſepta reductum*
*Per te ſumme pater conſpeximus, atque gementem*
*Errabunda diu veſtigia vidimus; olim*
*Ceu Babylon vidit regem tranſacta dolentem*
*Sæpe ſuum vitæ ſpatia, eductoſque fouentem*
*Queis potuit ſtudijs rapido fornacis ab æſtu*
*Tergeminos pueros ad ſe ſe in tecta vocatos*
*Incolumes, hilareſque, velut plaudente chorea*
*Dimiſſa, inſuetum cedentibus vndique flammis*
*Defeſſos aura in morem recreantibus artus.*
*Illorumque deum terris, cæloque potentem*
*Solum eſſe, atque illi ſolum ſacra eſſe ferenda,*
*Qui rapidis illos ſeruauerat ignibus. Atque*
*Outinam ad cultum verum velut optimus ille*
*Quos potuit populos iuſſis, armiſque tremendis*
*Compulit, & tanti memorem ſe muneris vſque*

*Præ-*

*Præbuit, atque deo retulit quæcunque referre*
*Præmia, vel grates potuit, celebresque triumphos;*
*Sic o, sic liceat nobis hunc noscere semper*
*Tantarum molis rerum, tantique laboris*
*Semper inexhausti memorem, semperque mouentem*
*Ad tua vota acies. Sic o, sic te auspice cernam;*
*Sed cernam, nec vana mihi mens augurat, arcto*
*Ad tua vota pio hunc coniunctum fœdere Iberis,*
*Vt rursum Europæ proceres, populosque coactos*
*Fœdere ad arma canam ingentes ingentia contrà*
*Agmina Threicijs sumptis non tarda pharetris:*
*Bisthonioque iterum consperum sanguine litus*
*Naupacti aspiciam, madefacta atque ora Leonis,*
*Quo fauces referante tremet Mæoticus anguis,*
*Expertus viresque huius, viresque furentis*
*Alitis, è cælo defert quæ fulmina terris.*
*Sic duce te videam has iunctas in fœdera dextras:*
*Gallus eques, pedes Hispanus, Venetæque triremes,*
*Italicum & robur, pharetrati militis agmen.*
*Nam quod non perdent? geminas te ad sidera palmas,*
*Vt quondam Moses, tollente? animisque, pijsque*
*Vocibus à superis semper socia arma rogante?*
*Christiadum te hortante acies, te numen, & omen*
*Sancte senex præbente tuum, teque arma mouente?*
*Interea & prudens his cum te accinxeris ausis,*
*Totum animum intende, & felix procede, regasque:*
*Nam verum, & Clemens, iustum & quòd diligis, hostes*

*Vsque cadent, quòcunque tibi sacra dextera pandet*
*Miranda ratione viam. Et fore prospera cœptis*
*Omnia digna tuis posthac ingentibus, omen*
*Braegetium, Iaurin quod nunc dixere minores*
*Sat fecisse ratum poterit, vix poste reuulso;*
*Atque improuisis correpto limine flammis,*
*Milite perpauco Austriaca ad sua iura receptum,*
*Ante Palatina quàm nunc ex arce parares*
*Ferre pedem, ceu castra mouens, atque omina palmæ*
*Praecipiens, (faustum, & felix per saecla nepotes*
*Quod memores semper seruent) lætusque per oras*
*Has nostras facturus iter; ne fortè tribuni*
*Quisquam mentis inops, aut vllos militis ausus,*
*Siuè astus potius donaret munere partae*
*Egregiæ tantum laudis: namque agmina mille,*
*Quotque Europa duces armorum pondere subter*
*Exercet; nunquam Iaurini in moenia rursus*
*Romanas aquilas retulissent, auspice summo*
*Te sine, & armorum nostrorum præside; ab armis*
*Qui licet vsque absis: tamen ad tua uota cohortes*
*Voce ciere potens superum, aligerumque maniplos,*
*Sic illos nulli inspectos hostilia contrà*
*Moenia, & aduersas acies impingis, vt vno*
*Agmine sternantur peditum quot millia, turmas*
*Quotque equitum densas, volucresque instruxerit hostis.*
*Inuictus Gedeon quondam ceu milite lecto*
*Exiguo Madiam fregit, non ense tremendo*

Confisus tantum, quantum vi luminis ollae
Inclusi, atque oculos mox perstringentis, & ipso
Quem gladium deus in turmas inuisus agebat.
Innumerabilibus quamquam tum fluctibus ille
Aequandas prorsus, sparsisque per arua locustis
Sic acies circum innumeras struxisset, vt omnes
Iordanis circum ripas, vallemque tenerent.
Romulidum armorum memini simili auspice classem
Threiciam toto disiectam litore Achao
Curriculo exiguo, & puncto vix temporis actam
In stragem, subitamque necem, exitiumque tremendum
Pontificis semper summi, semperque verendi
Sollicitis precibus, sancto qui nomine, & ipsa
Mente pius, semperque omnes memorandus in oras
Illius adiunxit magni monumenta trophaei
Non extrema cruci, quae nil detraxerit aeuo.
Tum Vaticana quamquam diuersus in aede
Ille procul pius, & supplex solemnia summo
Ritè deo faceret sacra, vt victoria classi
Christiadum foret, vt fuit illicet ocyor euro;
Dum sacris etiam supplex altaribus ipsis
Haereret, voce, atque animo defixus in vno.
Ex quo non alio referat se tempore nobis
Luce magis claram, aut ipsa sub luce videndam,
Quàm nostro demum se offert clementia terris;
Sub te summe parens, qui re, qui nomine Clemens,
Omnia quò mentem intendis, mox praepete cursu

*Aßequeris, tibi cuncta dari dum supplice poscis*
*Voce, animoque deum, sic re, sic nomine Clemens,*
*Vt dignanda magis tua sit clementia templo*
*Ingenti, & varijs suffulto ex ære columnis*
*Aeternum Clementis opus testantibus æuo,*
*Quàm patriæ quondam domitoris Cæsaris ade*
*Sublimi dignata fuit clementia Romæ.*
*Quin etiam hoc illi es similis, veniensq́, vidensque,*
*Atque vnà vincens insuetis viribus hostem,*
*Iure tua aut repetens, lege aut quodcunque premendo*
*Per vetitum scelus immißis exultat habenis,*
*Ne te rectore in præceps quis corruat. Arma*
*Vt tanquam Augusti metuens, nomenque verendum*
*Non illi temerè impositum Scytha, Parthus, & Indus,*
*Pertremuit, coluitque simul, suspexit, & illi*
*Se sponte addixit, sic pars tua tela tremiscet,*
*Parsque etiam placidis optabit subdere habenis*
*Colla tuis, mirata tuo quæ summa refulget*
*Non animo tantum virtus; tua cura nepotes*
*Sed qua etiam virtute vigent, sibi nomen in oras*
*Externas quasuis tollentes: alter & armis,*
*Purpura & insignis, præsens interlocat astra*
*Quem meritò æternis sacrans annalibus ætas,*
*Aldobrandini generis decus. Inclytus alter,*
*Mutua ab Auricomo accepit qui nomina sole,*
*Semina & omnigenæ virtutis Cynthius, ostro*
*Spectandus pariter, pariter vestigia signans*



Per-

*Per summum virtutis iter, quem pondere anhelum*
*Quandocunque leuat grauiorum Pieris, vnà*
*Ipse etiam chorus Aonidum recreatur, honestis*
*Dum pretijs illum ducit per præmia laudum;*
*Vt Leo consueuit quondam seges ampla poetis;*
*Auspice namque illo redeunt, quas expulit artes*
*Turpis auaritia ingenuas, obliuia famæ*
*Contemnens æterna suæ, iocularia musas*
*Debita principibus reputans, aulæque cachinnos,*
*Obscœnis tantum scurris, & prodiga mimis,*
*Virtutique tenax inopi sub nocte latenti;*
*Quam dulcis famæ expertem cum vita reliquit,*
*Vltrix continuò neglecta silentia noctis*
*Cogit ad æternæ Nemesis, quò illusit amictu*
*Saepius illa prius sublimi vertice musas.*
*Verùm sit serò inuideat te regia cæli*
*Nobis summe parens, tua nec perturbet amaror*
*Gaudia, quodque manet prudenti mente repostum;*
*Debita ceu merces nulli, nec copia deerit*
*Scribendi, atque iterum referent se ad pensa camœnae*
*Quæque sua, æterno texentes stamine gestas*
*Res hominum nullo soluendas temporis æuo.*
*Interea & femur ense potens accinge daturus*
*Pulchra tui monumenta, animumque intende, secundo*
*Procedens gressu, tandem rectur us habenis,*
*( Quòd veri, atque pij, & iusti es non nescius ) hostes.*
*Sicque breui liceat Gallum coniungere Ibero,*

*Ut vera agnosces sacri haec oracula vatis:*
*Utque breui accipies rursum tua signa relata,*
*Romanasque aquilas non tantum in mœnia Curtae,*
*Siue Budae mauis; Scythico ast abrepta tyranno*
*Pannonicis quaecunque iacent latè oppida terris.*
*Quae veluti quondam nostris discordibus armis*
*Illius subiere iugum; concordibus ijsdem*
*Sic per te rursus tandem sub sacra redibunt*
*Signa crucis quaesita diu clementia signa.*
*Quin etiam (nec vana reor spes ludat hiantem)*
*Tercenta, & bis dena prius quàm lustra peracta;*
*Aut prius aeternae felix mortalibus aegris*
*Quàm veniae, optatae & pacis pia limina pandas*
*Haec eadem demissa polo Clementia nobis*
*(Argumentum ingens veniae) vexilla vereri*
*Incipiet, vel sponte vomens, vel fracta per artus*
*Anglica dispersdens virus fera vipera; posthac*
*Pastura aeternùm nullo conspersa veneno*
*Pascua: caelesti at solum irrorata pruina.*
*Quo docta exemplo crudelia monstra Geneuae*
*Aspiciam rursum in ueterem redeuntia formam.*
*Quo docta exemplo, haud dubitem Germania aberrans,*
*Infelixque etiam nullo custode per orbem*
*Grex alius sine more vagans ad tuta redibit*
*Pabula, te illa diu erranti per deuia demum*
*Reddente, externumque etiam per verbera dura*
*Sic compellente, vt solum spectetur ouile,*

*Te duce, teque pedum paſtor venerande tenente.*
*Tunc ego ſim licet aris egens, & prolis abundans;*
*Diues at hoc vno, & vatum non peßimus; aures*
*Quòd placidas dederis non prorſus vana canenti,*
*Si quid opis ſuper, & vitae eſt, longinqua peragrans,*
*Faucibus oſtriferi quà feruens pontus Abydi*
*Europam, atque Aſiam anguſto diſcriminat aeſtu,*
*Laetus in antiquas vrbes; atque aurea templa*
*Sidereos proceres iterum in ſua iura receptos*
*Aſpiciam; & rectorem Aſiae praecordia faſtu*
*Nunc tumidum cecidiſſe animis mirabor, vt ictu*
*Fulminis igniuomi praerupto vertice montis*
*Decidit annoſa in caelum ſua brachia pandens*
*Quercus, & attollens caput inter nubila pinus.*
*Inde Paleſtinam properans ſic tutus ad oram,*
*Omnia amica videns, omni procul hoſte fugato,*
*Plurima conſpiciens paßim monumenta ſalutis*
*Humanae, Solymum inuiſam haud inglorius vrbem,*
*Et laetus, trepidanſque ſimul, lacrymaſque tepentes*
*Effundens ſpargam, quas ſparſit ſanguine cautes*
*Seruator vitae, ſimul & reparator ademptae*
*Humanae, aeternam peperit cui morte ſalutem.*
*Mox & humi impreßis genibus, ſupplexque trementi*
*Ore, animoque pius venerabor, & oſcula pronus*
*Marmoreo affigam illius properata ſepulcro;*
*Nil vnquam longa trepidans regione viarum,*

*Auspice te venerande senex, tranquilla per aeuum*
*Quodque, pijs cunctis agitantibus otia terris.*

FINIS.



